

quo Sol tam matutinis, quam vespertinis horis, de die atque nocte, indefinenter commoratur, idque cum dulcissimo rore, à quo bene in spergitur atque humectatur, cuius terra arbores fructusque producit, qui illinc plantati sunt, qui etiam decentem alimentationem à gratissimo pascuo percipiunt. Id autem fit indies, illicque & corroborantur, viuificantur, & minime marcescunt, ad minimum ferme vno in anno magis, quam antea etiam mille annis, ita vt loquamur, alio in loco, vbi à frigore infestabantur, haud fecissent. Sumantur itaque, & noctu, interdiuque, assidue supra ignem in alembico foueantur. Non autem ignis carbonarius, vel è ligno confectus, sed clarus pellucidusque ignis fiet non fecus ac Sol ipse, qui numquam plus iusto calidus ardensque, sed omnī tempore eiusdem caloris esse debet: vapor namque ros & semen omnium metallorum est, quem non alterari oportet. In crescentibus fructibus videre est, si nimio calore abundant, sine rore modico, vt ficci mancant, & in ramusculis suis immoriantur, atque ad nullam denique perfectionem perueniant: Sin vero per calorem, vel mediocrem humiditatē in arbore sustententur, tunc elegantes & fœcundi fiunt. Calor namque & humiditas omnium terrenarum rerū alimentū est, vt pote animalium, vegetabilium, & mineraliū. Quocirca carbonarij, eq; lignis excitati ignes ipsis minime conducunt: violenti ignes illi sunt, qui non alimentant, quemadmodum solis calor facere solet, qui etiam omnes res corporales conseruat, eo, quod naturalis ille fiet. Quem in finem etiam veri Philosophi nullum ipsis alium ignem elegerunt, quam naturalem, quem sequuntur, non tamen quod ideo Philosophus

The Chymia
Vob. 5. p. 159

Theatrum Chym
Vob. 1. p. 820.